118

Doctissimo ac Celeberrimo Viro Joh. Henrico LEICKIO
Ant. Franc. Gorius S. P. D.

Sero, nescio quo fato, literae tuae, quibus nil gratius, iucundius nihil mihi accidere potest, scriptae d. XV. Julii, ad me pervenerunt. Hae mihi ostendunt animum tuum, et eo me perducunt, ut Te mirifice diligam plurimum humanitate, honestate, quae cum eximia doctrina tua, quae te literarum decus et columen statuunt in litteraria Republica, amicissime certant. Miror Te in tanto dignitatis et laudis culmine constitutum me tanta dignatione adficere, et quod magis est egregiis laudibus extollere, quas utinam is efficiar, ut mereri eas possim! Sed non vacat officiosis verbis Te in litteris occupatissimum detinere, et paginas implere.

Puto Cl. Marchionem Antonium Nicolinium, strenuum doctorum hominum aestimatorem, te convenisse, et de me aliqua tecum contulisse. Cl. Targionius nuper Clarorum Germanorum Epistolas ad Cl. Magliabechium pervulgavit. Prodiit Tractatus Italice scriptus ab erudito Collegio delle Poste degli antichi. Doctissimus Cocchius Tabulas pugillares ceratas et scriptas illustravit Italica Epistolari dissertatione. Continent Diarium Itineris Philippi IV. Francorum Regis. multa supersunt illustranda in quibus, tu Vir Doctissime, spartam posses egregie

posse. Nonnulla et ipse conari volebam, sed aliae curae et maioris momenti aliò me vocant. Cl. Biscionius iam sub prelo habet Catalogum MSS. Codicum Bibliothecae Laurentianae, cui et ipse operam impendo, ut amico morem geram, priora apographa distinguens, et recognoscens. Iam XV. folia excusa sunt. Opus certe erit accuratissimum et longe absolutissimum in folio.

Meursianum opus alte stertit somno oppressum. Nam Cl. Lamius in minimis occupatus, nondum perfecit Prolegomena singulis Tomis praeponenda, quae hactenus iam IX. excusa sunt. Libellus ille inscriptus Lettere Critiche, mihi tribuitur. Lamius mihi nuper amicus, hostis evasit, et in Nunciis Litterariis frequenter insectatus est ad stomachum usque. Meam oscitantiam voluit ostendere, et in antiquis monumentis edendis imperitiam. Ut clavus clavo refigeretur, opus fuit ostendere in describenda Tabula ~~[illegible]~~ Cortonensi, (cuius autographum nunc Riccardianum ob oculos habebat,) commisisse sphalmata XXX. et difficultates plurimas ubi non sunt induxisse, et Consules, qui ordinarii sunt, perperam nunc ordinarios, postremo suffectos statuisse. Non puduit blateronem ita scribere, et tot ineptias contra me effutire. Sed de his satis. Ni fallor huiusce Opusculi una cum Catalogo ad Te exemplaria duo misi.

nunc ipsum librorum meorum fasciculum ad Te pervenisse
puto ope D. Farsonii mercatoris Florentini, qui in
capsa mercium suarum posuit; et quidem puto im-
munem expertis uecturae. Id facias meum
cupio, Vir Doctissime. Frequenter veniunt ad nos
uestrates homines, qui crystalla, imagines et alia
perferunt; quare his utere, et fasciculos librorum
commenda. Jam ad Te scripsi libros, quos avide
cupio, ut pro me emes, impensam reconstituens, ut
notam facies. Cupio habere tuas antiquorum mar-
morum et Epigrammatum explicationes, et quae
cum Cl. Hagenbuchio invicem disputasti.
Mitte quaeso Elenchum Dissertationum omnium
Philologicarum, quae hucusque prodiere,
iam enim audivi a Praesule D. Cerato, qui Te
multis laudibus mihi commendavit, excusum
prostare. Maxime omnium ~~hoc~~ cupio Dissertationem
Abbatis Lebeuf de Diptychis, et praesertim si, Te curante,
a Te e Gallico idiomate in Latinum erit conuer-
sa, quod opus non exiguis laboris aliquo modo com-
pensabo. Gesnerianum Thesaurum statim ac
prodibit habere cupio, quod ut spero innuabit
meum Lexicon Lapidarium. Impensas omnes remittam
Tibi. Allius qui Lexicon Criticum ex marmoribus
Romanis fecit, nunc mihi, Te auspice, innotescit,
quare ut primum poteris, mitte descriptam libri
frontem et ubi prodiit, ut comparare mihi possim.
Picturae illae a Te memoratae dicuntur la Quadreria

del Gran Principe Ferdinando. Si sint veteris impressionis venduntur scutata LX ~~[illegible]~~ sin minus paucis supra quinquaginta scutata: omnes optant ut sint ~~[illegible]~~ optimae impressionis vividae, nec dilutae.

Curante Marchione Gerinio prodiere Prospectus XXIV. elegantiores Urbis Florentiae in magnis Tabulis, et alia, ut vides in Schedula, quam mitto.

Gratias Tibi refero immortales pro specimine Tabularum Graeci Codicis Novi Testamenti, quas incidendas curavit V. Amplis. Ebnerus. Integro opere publici iuris facto, quo pretio prostet, indicabis.

Transacto Augusto, quum atrocissimi aestivi calores me domi detinuerint, paravi magnum volumen. In mentem venit in unum Corpus redigere omnes quot quot ad hoc tempus extant Inscriptiones Etruscas, et Italas antiquas Pelasgicas, Latinis literis exaratas, quod ordinavi in aliquot capita exemplo Jani Gruteri et aliorum. Non putabam millenarium numerum fere attingere. Id feci, ut facilior mihi sit aditus ad compingenda duo Lexica Etruscum et Pelasgicum, quae promisi. Ita quidquid in hac sparta conati sumus, facilius adparebit. Voces omnes alphabetico ordine procedent.

Interim, Vir doctissime, si me amas, totus incumbe in augenda tua de Dipthychis eruditissima dissertatione quam mitte, et tuas curas declara, et libros doctos nuper excusos indica. Vale musarum decus et praesidium. Florentiae d. XVII. Septembr. 1746